



1. Hsferung s. Joh. Carp. diff. de perfectio
ni Christiana Antiv. Wittenb. 1739.
2. _____ diff. de Bileam, in iurato
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. _____ diff. de communione sub
utragz. Wittenb. 1739.
4. _____ diff. de locis cur Christus
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. _____ diff. de theologo non tantum
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. _____ diff. de momento endyponismen
anima fidelis, Wittenb. 1726.
7. _____ diff. de effectibus afflictio
num Christi a Paulo supplendi
ex Coloss. i v. 24. Wittenb. 1720
8. Hayer s. Joh. Georgij s. diff. de proverbiis
proverbio: pror. Kenta. Duktissein
Act. VIII v. 5. Lipsie 1738.

921

בְּשִׁלְחוֹת הַלְּחֵם
כָּל בְּנֵי הַמִּירֶם

i.e.

DE

PANE SVPER AQVAM
MITTENDO

COHEL. XI. COMM. I.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

PRAESIDE

DN. IOHANNE CHRISTIANO
HEBENSTREITIO

SS. THEOL. DOCT. ET LINGV. SANCTAE
PROF. P. O.

PRAECEPTORE SVO AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO

IN

ACADEMIA QVAE LIPSIAE FLORET

DIE XII. APRIL. A. R. S. cccc XXXVII.

ΣΤΜΦΙΔΟΛΟΓΟΥΤΝΩΝ

EXAMINI SVBMITIT

A V C T O R

M. IO. GOTTLLOB GLEISBERG

SIEGERSDORFFIO LVSATVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



13
PANE SUPER AGAM
MITTENDO
CEREMONIA
DISSESTITIO THYESTE
PRÆSIDET
DN IOHANNES CHRISTIANUS
HERBENSISTRÆTIUS
THEODOR DOCTEUR LINCOLNISANUS
PROFESSOR
PRÆCINCTORIUS VD CINERES
PRÆSIDIUS DIBEMERVINO
ACADEMIA OYSTERIANA FORTA
HILDEBRANDIUS
HILDEBRANDIUS
WIO GOTTFRIED ELLSBURG
IPSIAS
EX QUILIANI LANCENI MIA

VIR O
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO QVE
DOMINO
DN. IOHAN. GVILIELMO
DE MALZAN
LIBERO BARONI
WARTENBERG, PENTZELIN
ET MILITSCH
DYNASTAE IN OTTENDORFF, POSSEN
THIERGARTEN ET SCHLEMMERN
DOMINO SVO INDVLGEN-
TISSIMO

NEC NON

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. WOLFF CASPAR
ABRAHAMO
DE GERSDORFF
DYNASTAE IN SIEGERSDORFF, TSCHIRNA
NEVDORFF, BIENITZ ET ALTENHAIN
REGI POLONIARVM ET ELECTORI
SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE
ATQVE IVSTITIAE
MAECENATI SVO
DEMISSE COLENDO
HOSCE LABORES ACADEMICOS

CONSECRAT

A V C T O R.

PERILLVSTRES ET EXCELLEN- TISSIMI DOMINI.

Splendida desunt vocabula, quibus
Splendidissima Vestra Nomina in
praesentia rerum extollere possim.
Sane per Vestrum Splendorem at-
que Auctoritatem non exiguum huic
specimini Academico conciliari cre-
do ornementum. Multae quidem sunt, quas habeo, cau-
sae, hancce Dissertationem, qualisunque demum sit,
VOBIS dedicandi: inter ultimas tamen haud pono
meum erga **VOS**, Viri Perillustres, obsequium, nec mi-
nus declarandae pietatis desiderium; denique spem, qua,
fore, vt in *Vestris Nominibus praesidium aduersus in-*
uidorum iniurias inueniam, certo confido. Nullus sane
mibi metus est, ne sint, qui institutum meum improbare
*audeant, quod Dissertationem hanc sacram Philologi-
cam Tantis tamque Illustribus Reip. Luminibus conse-
crale non erubescam. Hoc unicum ex Cicerone allega-
sse, illos, siquierunt, erit refutasse: Nil est naturae homi-
nis accommodatius beneficentia. Quae est igitur melior*
in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad
*homines iuuandos, tutandos et conseruandos arbitran-
tur? Cum vero hic ipse intendatur in hac Dissertatione*
scopus, ut beneficentiae vel liberalitatis studium obbea-

tissimos eius fructus omnibus commendetur, illudque ex exercitibus applaudatur: non video, cur vituperanda sit instituti mei ratio. Quaerenti enim mibie iusmodi Maezenatum genus, in promptu erat haec Virorum Perillustrium Biga, qui in beneficentiae studio Imperatori Tito sunt simillimi. Solenne enim et ipsis propositum fuit: non oportere quenquam a sermone suo trimestre abire. Et licet die absque beneficiis elapsa nunquam fortasse memorabilem illam meritoque laudatam vocem ediderint: Amici, hodie diem perdidit! hanc tamen animo voluisse indubie confido, et ut confidam, prona eorum ad bene de bonis merendum voluntas, cuius abunde cognita, iubet. Hinc et illud ipsis encomium debebitur, quo Titum exornauit Orbis eruditus. Vos, inquam, merito appello: Amorem et Delicias Musarum, Vestrorumque subditorum. Et, (quod vero serotandem eueniat) hoc fore ominor Epitaphium: Hi duo extinti sunt maiori musarum et subditorum damno quam suo. Illustrissime Baro, euidentissima iam demonstratione Tuum in pietate feruorem, amorem erga studia, beneficentiam in litterarum studiosos, liberalitatem erga pauperes, et denique benignissimum animum erga subditos multis verborum ambagibus publice exponere possem, nisi Tua me modestia omnem operosam laudationem perosa ab hoc ipso consilio reuocaret. Nec sane opus habeo, illud enim praedicantis famae plena sunt omnia. Hoc unicum saltem celebrare per Tuam humanitatem liceat, quod Tua Splendidissima Domus, quemadmodum olim Gilliae

Gilliae Agrigentini, Viri opibus excellentis sed multo etiam animo quam dinitiis locupletioris, quasi quaedam munificentiae officina credatur. Ut enim, quod Gillias possidebat, omnium quasi commune erat patrimonium, sic idem de Te, quam egregie verum sit, ita constat, ut nullo indigeat argumentorum apparatus. Cum vero et ego Patrocinii Tui amplissimi devotissimum me profitear Clientem, una cum multis aliis musarum castra sequentibus per quadriennium in hac Academia exactum liberalissimis litteras prosequendi subsidiis benignissime mibi collatis inclyto Nominis Tuo obstrictissimus: iniurius, imo turpissimi omnium vitiorum vitii, in quod ingrato quis animo incurrit, accusandus essem, nisi pro tanta beneficiorum collatione, quantum fieri potest, obsequiosissimas persolucrem gratias. Plura animo concepta teneo, quam quidem verbis exprimere valeo, merita enim Tua praeconio meo longe sunt maiora. Hinc hoc saltet in votis habeo, ut Deus Te seruet longo temporum tractu sospitem atque florentem in splendidissimae Tuae Domus ornamentum, subditorum praesidium et meam studiorumque meorum spem certissimam. Imo meritorum Tuorum rerumque ex voto fluentium iubar nulla unquam aduersorum caligine obrui finat summum, quod supplex imploro, Numen. Sed et Tua, Perillustris et Excellentissime Domine, Domine de Gersdorff gratia, qua bonas artes earumque cultores complecteris, fatus, has Illustri Tuo Nominis meditationes dedicare audeo. Initio equidem quam maximam

me

me verebar, hoc Tibi rudi arte confectum opus offerre, quia nil in conspectum Tuum venire fas est, nisi perfectum omniqe ex parte absolutum. Verum enim vero de amore Tuo haud sane vulgari erga parentem meum beate nunc defunctum, et de insigni gratia, qua, vt complures artium cultores, ita et me bucusque amplecti dignatus es, cogitanti mibi, spes nata est certissima, fore, vt audaciae gratiam facias. Quemadmodum Tuo sub regimine Parenti meo aliquando bene fuit, sic mibi Tuo sub patrocinio splendidissimo etiam nunc bene est. Tui proinde Maecenas indulgentissime, memor, summa animi pietate Tuum mibi grauisimum in posterum humillime expeto praesidium. Faxit diuina, quae ad munus splendidissimum Te euexit, sapientia, vt firma continuo fruaris valetudine in patriae et reipublicae salutem, in litterarum perpetuum decus, in omnium denique clientum, in quorum numero et meum profiteri liceat nomen, solatum certissimum. Haec sunt, Viri Perillustres, vota et suspiria mea, hoc est obedientiae meae testimonium, haec tandem est tantorum beneficiorum mibi exhibitorum dulcis recordatio et debita illis pietas. Accipite illa, quo soletis animo, ab

ILLVSTRISSIMORVM VESTRO- RVM NOMINVM

humillimo Cliente

M. IOH. GOTTLÖB GLEISBERG.



PROOEMIUM.

S. I.



Vobis sacri codicis libri in rebus ad salutem et fidem pertinentibus sua luce radient, et ita quidem, ut a quolibet, simplicissimo etiam, qui rationis usum polleat, debitamque attentionem adferat, percipi possint, vnamini theologorum nostri coetus consensu assentitur strenueque defenduntur. Nemo tamen inficias ibit, Deum aliquam hinc inde obscuritatis umbram isti luci admisceruisse; cuius rei quin sapientissimas habuerit causas, nullum est dubium. Recte interim Augustinus de doctrina Christiana L. II. C. VI. monet: *nil fere de illis obscuritatibus erui, quod non planissime dictum alibi inueniatur.* Sunt inter viros *theologos*, qui, dum Spiritus S. in suggerendis verborum conceptibus ad indolem, ingenium et consuetudinem scribendi suorum amanuensium se accommodavit, pro hac ipsa diuersitate, sublimi, mediocri humilique dicendi genere usi fuerunt. Sic Esiae dictio est grandiloqua variisque floribus oratoriis mixta, cum e contrario Ieremiae, si cum ista comparetur, humili quasi repere videatur, licet suo nitore et elegancia non destituatur. Et quis quaeso negabit, a styli temperamento interdum, et vix raro, perspicuitatem aut obscuritatem

B

tatem

DISSERTATIO DE PANE

tatem sensus pendere. Cum vero de obscuro libri Coheleth stylo, deque plurimis, quas parit, difficultatibus conqueri videtas tantum non omnes, quotquot eius interpretationem suscepérunt; quaeri posset, quaenam causae videantur illius difficultatis esse? et affirmandum omnino est, difficillimam huius libri interpretationem esse tum ob concisam in ebraeo textu dictionem; tum ob rerum varietatem, quas tractat; tum etiam ob intermixtas Epicuraeorum μυμήσεις ab iis, quae propria Salomonis sunt, eque animi illius sententia prolata, accurate discernendas. Stylus enim est poeticus, adhibet Ecclesiastes singularem verborum delectum, sententiarum pondus, affectus vehementes, hemistichia certis numeris commensurata, abruptos saepe sermones aliasque metriceae structurae affectiones per vniuersum dominantes libellum. Et licet e Pontificiis Pineda et ex Nostris Vener. Ioh. Henr. Michaelis in Diss. de libro Coheleth §. 23. negent, librum hunc metri legibus esse scriptum: omnibus tamen non videntur satisfacere dissentientibus; quanquam dissimilandum non est, haec paulo obscuriora et incertiora esse: iudicium vero evidens ferre in proclivi foret, si metri ebraei rationem exacte haberemus compertain, nec horum poesis inter desperita antiquitatis κειμένα locum esset naecta. Hinc tam diu cum veteri ecclesia, inuita licet Synagoga, hic Ecclesiastes in poeticis computandus erit libris, quam solidis non dimouemur argumentis.

§. II.

Sed non solum de stylo, verum etiam de scriptore huius libri ingens est sententiarum diuortium, quod autem compонere nec huius loci nec nostrum est, nec necesse etiam, quoniam, qui hunc librum Ezechiae tribuunt, Iudeorum Magistrorum *) a Calouio in Bibliis illustratis adh. l. p. ii. 28. notati sunt. Qui Esaiam Auctorem affirmant, quorundam in primis pertinet Rabbi Gedalias **) tam facili reuici negotio quam illud absque

*) Sic enim fabulantur in Baua Bathra Cap. I. f. 15. יְהוָה וִסְרֵחוֹת כַּחֲפֵץ : מִזְבֵּחַ שֶׁיְהָוָה מְשֻלֵּחַ שִׁיר הַשִּׁירִים קְהֻלָּת :

**) Cuius opinio patet ex Schalscheleth Hakkabala f. 66. b. vbi sic inquit: רִשְׁעַת

que ratione et momento, quin et absque auctore vlo sta-
tuant, obseruauit Magnif. Lubecensium Praeful Dn. Ioh. Gottl.
Carpzou. Introd. ad LL Poët. Bibl. V. T. p. 173. Qui compo-
sitionem huius libri in Zorobabelis aetatem detrudunt, quo-
rum princeps est Hugo Grotius, a Calouio refutantur ad Ec-
cles. XII. II. T. I. Bibl. Illuſtr. p. 1248. Et qui tandem Iesum
Ioiadae filium, summi alicuius post exilium Babylonicum Pou-
tificis circa tempora Regum Persicorum Xerxis Longimani
et successorum, scriptorem esse autmant, quam conieeturam
Vir Celeb. Herm. von der Hardt in peculiari Schediasmate
anno 1714. de libro Coheleth promulgavit, praeter foecun-
dam ingenii conieeturam nil afferre, laudatus Carpzouius
I. c. inter alia inde probat, quia Iosephus quidem Antiqu. Iu-
daic. L. XI. C. VII. memorat, caudem Iesu Ioiadae a fratre in
templo patratam, sed de relicto eius ecclesiastico opere Θεο-
φανεψη σε γρ̄ν quidem addit. Referimus itaque Ecclesiasten
ad Salomonem ipsum a Spiritu S. actum auctorem, t. ob libri
Ἴημαγγελίου *) t. ob signatissimam per vniuersum librum Salo-
monis delineationem tam viuis expressam coloribus, vt in
neminem nisi Regem nostrum quadrent; t. ob consensum
vniuersae antiquitatis et Iudaicae **) et Christianae.

§. III.

Extra omnem dubitationis aleam etiam adhuc positum
est, librum hunc prae multis aliis ex sacri codicis libris esse per-
obscurum: hinc et causa in promtu est, quare factum sit, vt
multa hinc commenta sua elicerent, hocque libro ad libidi-
nem suam abuterentur pene omnia hominum genera. At-
que hinc factum quoque, vt sapientes Ebraeorum, quemad-
modum

B 2

רְבָרִי קְהֻלָּה בֶן וֹד מֶלֶךְ בֵּירַזְוָלֶט Verba Ec-
clesiae, Filii David, Regis in Jerusalem.

*) Qui patet ex eo, quod aiunt: עֲתָה זָקַנְתִּי שְׁלֹמֹחַ טָמֵר לְמַתָּחוֹ שְׁרוֹתָה שְׁלֹמֹחַ וְרֹוח הַקּוֹרֶשׁ וְאָמַר שְׁלֹמֹחַ פְּרִים הַלְלוּ מְשֻׁלְּשֵׁי הַשִּׁירִים קְהֻלָּה i. e. tempore senectutis Salomonis, habitauit super ipsum Spiritus S. dixitque Salomo hosce libros: Prouerbia, Canticum Cantorum, Co-
heleth; vti ex Zemach David allegat Hottingerus Thesauro Philol. L. II.
C. I. Sect. 3. de Hagiogr. p. 487.

DISSERTATIO DE PANE

modum ex Talmude *) patet, omnem nauarent operam, ne hic liber aetatem posteritatis attingeret, quia haeretica quedam et inter se pugnantia in eo contineri viderentur. Sed longe aliud eos postea tulisse iudicium constat, cum dicta de timore Dei, de vanitate mundi etc. in ipso reperissent. Comendabant deinde iterum iterumque librum hunc omnibus lectu dignissimum, quia felicem inde expectabant effectum, fore ut homines regere affectus discerent, et quoniam videbant et principium eius et finem verba legis continere, i. e. cum lege Dei conuenire, quod probat Hottingerus auctoritate Ebraeorum in Thesauro Philol. l. c. Quare patet, verum esse, quod vulgo aiunt: semper videndum, quomodo quidque dicatur, cumque contextu conferendum. Inciuile enim est, inquiunt Icti, particulam aliquam legis sumere non perspecta tota lego. Phraseos et dictionis insolentiam a reliquo virorum Θεο-
τρεύσων stilo interdum paululum recedentem multis interpretibus crucem fixisse negari non potest; sed omnia sic se habent, ut adhibitis legitimis Hermeneuticae S. regulis ope Spiritus S. verus et genuinus sensus ad oculum appareat. Cum vero et illud, quod Ecclesiastes de pane super aquam mitten- do asserit, multis interpretum opinionibus obnoxium fuerit, operam me perditum haud existimau, si studiorum meorum specimen editurus ad illius probabilem sensum eliciendum animum adiicerem. In quo illud agam, ut initio ipsum assertum philologice perlustrem; tum primarias examinem senten- tias, et tertio interpretationem nostri Megalandri, metaphoram a re nautica patentis, defendam.

Eccles. XI, 7.

שָׁלֹחַ לְחִמֵּךְ עַל־פָּנֶי חַמִּיסָּה כִּי בָּרֵךְ הַיְמִינָה הַמְּצָאָה:

SECTIO I.

*Excusso philologica vocabulorum et phrasium
in hoc dicto obuenientium.*

§. I.

בְּקַשׁ הַכּוֹנִים in Talmude, Massichta שבת C. II. legitur: לְגַזְעַן טַרְ קַהֲלָת שְׁבִירָיו סְוִתְרֵין וְאֵת זֶה
De Rabbinis in Talmude, Massichta שבת C. II. legitur: בְּקַשׁ הַכּוֹנִים לְגַזְעַן טַרְ קַהֲלָת שְׁבִירָיו סְוִתְרֵין וְאֵת זֶה
i. e. voluerunt sapien-
tes occultare librum Coheleth, eo, quod verba eius inter se pugnarent.

SVPER AQVAM MITTENDO.

3

Vt verus et genuinus sensus, quem in hoc ipso loco Spiritus S. intendit, inueniatur, necesse erit, eas, quas adhibuit voces et phrases, diligentius perpendere. Verba enim sunt signa cogitationum: hinc ex verbis et phrasibus dijudicandus est sensus auctoris. Cumque sensus Scripturae S. id sit, quod Deus ipse Scripturarum Auctor in scripturis et per scripturas tanquam per expressissimum diuinae mentis ~~convenienciae~~ hominibus cognoscendum et intelligendum exhibit, de quo Glassius Philol. S. L. II. P. I. init. p. m. 347. prolixius differit, ipsa vocabula eorumque significaciones merito ex ipsa Scriptura eruenda sunt.

Primo loco consideranda se offert phrasis **שלח** **לחתם** et vix opus erit multis, quae in medium producantur exemplis, ad demonstrandum, radicem **שלח** significatum *mittendi* habere. Notio enim est frequentissima et in omnibus fere Scr. S. plagulis legenda. Quod vero eadem radix significationem iaciendi et proiiciendi habeat, non negamus, quandoquidem hoc ex eo colligere licet, quod inde descendit **משלח** extensio mantuum Deut. XII, 7. et **שלח** telum, quia illud proiicitur 2. Paralip. XXXII, 5. it. **שלוח** **שלוחת** propagines, quasi projectiones dicas; et hoc tendit Mercerus atque Iunii et Tremellii versio. Et ita confine est quodammodo **שלך** **שלך** ideo forte, quia, vti literae vnius organi, sic et illae, quae pronunciatione aliqua ratione conueniunt, quales esse et **שנער** **שנער** ne gar non potest, aut facile commutantur, aut certe significatio- nis cognatae radices pariunt. *Construitur* autem hoc in loco cum **להמץ**. Non potest ignotum esse, panem in Scriptura sacra haud raro ponit pro frumento seu femine, ex quo panis fit, et vicissim; quemadmodum saepe materiatum pro causa materiali ponitur, locorum plurium perspicuo testimonio. Sic panem pro frumento dixit Hiob. XXVIII, 5. Ps. CIV, 14. Es. XXVIII, 28. sicut vicissim frumentum pro pane ponitur Zach. IX, 17. Thren. II, 12. Quo tropo etiam **קמח** **farina** ponitur pro frumento. Es. XLVII, 2. Testes quoque sunt Rabbini, qui optime monent, contineri panis nomine triticum, hordeum et speltam, quia ex his confici panis solet,

B. 3

vid.

vid. Gaddakkeri Opp. Critica p. 269. Et quid obstat, quo minus sub panis nomine, cuius mentionem facit Ecclesiastes in loco nostro, omne id, ex quo panis confici solet, intelligi queat, cum explicationem hanc hodiernus quoque usus confirmet. conf. Drusius in Proverbiis Clasf II. L. II. 48. quae extant in Criticis Sacris T. VI. p. 1751. Commendat itaque Coheleth per hanc phrasin eleemosynas, et dum *mittere panem suum iubet*, eo ipso docet, de proprio esse largiendum: non enim his auferendum est, quod illis dare constituiimus. Quare etiam eleemosyna dicitur iustitia Matth. VI, 1. conf. Drusii Observatt. L. IV. C. XI. quae extant Crit. Sacr. T. VI. p. 1364. Et certe non ex abrupto hic Salomo ad eleemosynas delabitur, sed capta sapienter ex antecedentibus occasione, id quod per eleganter Venerab. D. Michaelis in Annot. ad hunc locum ostendit, dicens: *adhortatus erat in praecedentibus ad laboriositatem vitio luxu exercendam.* *Iam ne quis putet, se non opus habere, ut labore, siquidem abunde ipsi suppetat, unde vivat; hinc grauiter monet, ob pauperes saltēm esse laborandum;* ut illis bonorum nostrorum partem suppeditare possimus. Hanc vero sententiam et Paulus confirmat Eph. IV, 28. Sed communis hominum consuetudo est, ab altero extremorum deuoluī ad alterum, hinc ne existimare aliquis posset, Salomonem luxum dissuadendo docere voluisse auaritiam: admonitionem adiungit ad legitimū beneficentiae studium, et quomodo sapienter vtendum sit vitae subsidiis. Ex hac ipsa itaque connexione ad oculum adparet, Salomonem per שָׁלֹמֶן commendare studium beneficentiae.

Obiectum personale eleemosynarum sunt pauperes, hi vero interpretibus indicari videntur per פְּנֵי הַמִּזְבֵּחַ עַל de quo tamen infra Sect. III. non nihil monebitur. Evidem Scholasten ad Ben Sirae Adagium *) eiusdem fere cum hoc Salomonae summae, nisi quod Chaldaicum est, exponere hanc phrasin etiam de hospitalitate obseruat Drusius: sed se commendari

*) Ita conceptum est Ben Sirae adagium: יְהִי אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ עַל כָּל־בָּרוּךְ הוּא וּמְשֻׁמְדֵרְךָ לְהַבְּסִיבָּה וְלִבְּשָׂרָה וְלִמְשָׁבֵת וְלִמְשָׁבֵת. Sparge panem tuum in superficie aquarum et in arida, et tu inuenies eum in fine dierum.

SVPER AQVAM MITTENDO.

7

mendari potius putare ait liberalitatem, quam exerceri praecipiat in omnes promiscue si pauperes sint s. diuites, Comment. ad Ben Siraem Proverbia Alph. primo litt. Zain, in Criticis Sacr. T. VI. p. 1875. Targum sic vertit: **אושׁיט לְחֵם פָּרָנְסָוחַ רְעִנֵּי** **דָּא פָּנֵם** **בְּסָפִינַן עַל אֲפִי מַאַת** da panem sustentationis tuae pauperibus, qui ambulant in nauibus super faciebus aquarum. Frequens est significatio particulae **שׁ** secus, iuxta, prope, super; et non nego, siue vertas in superficie aquarum, siue **secus** faciem aquae, sensum manere eundem: largendum esse pauperibus; quanquam haec tropice dicta varie explicant applicantque interpres. Alii existimant, per mittere semen supra aquas, moneri benefactores, benefacere his, quorum facies lacrymis sunt irriguae; et super aquas quidem, ita ut periisse videatur. Perire enim quodammodo, quod pauperibus detur, cum gratiam referre ob inopiam non possint; vid. Drusium in Proverbiis Clasf. II. L. II. 48. in Criticis S. loc. cit. p. 1751. Grotius autem eo interpretatur, quod largendum sit egenis, ubi nulla spes sit recipiendi, Luc. XIV, 12. 13. 14. Grauia enim in aquam projecta non facile recuperari. Hinc beneficiendum esse et indignis, in quos collatum beneficium peritum credamus, aut quos ingratis fore, praeuideamus, inquit Mercerus. Accedunt illi Belgae in Annott. et ad proverbiū vsu receptissimum prouocant, quo, periisse aliquid aut temere locatum esse affirmaturi, in mare aut super aquas coniectum dicere soleant. Wilhelmo Pemble autem Anglo in expositione in Eccles. videtur esse in his Salomoneis verbis μίμησιν, quae aurorum tenacitatem referat. Forum vero frequentem esse proverbialem locutionem, qui sordes suas hac ratione defendere contendant, quasi largiri s. eleemosynas egenis dare idem esset, ac panem proiicere in aquam ad pascendos pisces. Sed Salomonem, illis manifeste contradicentem, asserere, quasi per ἐπιτελοποίην; esto, sic proiici in aquam beneficium i. e. ex tua opinione male locari: sed bene factum! proiice panem tuum super aquas, apud Polum in Synopsi h. l. Item paulo aliter. Drusius praeter id, quod supra expulit, proiice panem tuum super aquas, ait idem esse, atque **benefac multis;** aquam vero in litteris mysticis multitudinem signifi-

significare l. c. Quasi diceret: Sis hilaris dator, hilarem enim datorem Deus amat, iuxta dictum Apostoli, et cum multis benefacis, eo animo sis, quasi rem vilem abiicias. Si enim queritur, quomodo dandum sit pauperibus, tria circa hunc actum obseruanda esse monet ex Ebraicis Drusius ad Ben Sirae Proverbia lit. Ioth. in Crit. Sacr. p. 1877. primo, ut eleemosyna detur clam et in occulto, non palam et in aperto aut publico; secundo, ut detur vultu hilari; tertio, ut eum, cui damus, blandis alloquamus verbis: nam dono gratiam conciliare orationem, quae saepe numero plus valeat ac possit, quam ipsum donum. Alii denique metaphoram hanc esse petitant a re nautica existimant, his inducti rationibus, tum quia Salomo re nautica non parum occupatus fuerit, tum maxime, quod etiam phrasis haec ~~מִנְחָה~~ ~~לְעֵל~~ de nauigatione usurpetur Gen. VII, 18. et Ex. XVIII, 2. Hinc idem esse, ac si dixisset Salomo: nauigio veluti committe, instar mercatoris, bona tua trans mare vehenda, tanquam plane desperdita, unde tamen magno cum foenore postea redibunt, quae B. Geieri verba sunt h. l. Nemo enim inquam securus se mari commisit, affirmante Synesio in Epistolis, quae extant in Capelli Critica S. p. 164. Elegans quoque locus e Chrysostomo est, qui Hom. XXIII. de eleemosynis ita scribit: η ἐμπορία κοινωνίας κοινωνίας θελόσσης υπόκειται κοινωνιοῖς πολλοῖς, κοινωνία σπέρματος κοινωνιοῖς κοινωνίας κοινωνίας έπομβρίας κοινωνίας έπεργας οἰδέων δυωμαλίας. Ταῦτα δὲ εἰς τὴν χειρὸν τῆς κυρίας καταβαλλόμενα χειρόπατα οὐδώτερα πάσσονται έστιν επιβεβλήσις, κοινωνίας δύνατον οὐρανοῖς ἐν τῇ χειρὶ τῆς λαβόντος τὰ δεθέντα απολύτη, ἀλλὰ μέντοι πολὺν τὴν κοινωνίαν οὐφατον οὐρανοῖς καὶ τὸν καρπὸν κοινωνίαν οὐφατον Φέρονται πλούσιον. Mercatura tum venis tum fluctibus maris et nanfragiis multis est obnoxia, et semina ariditati et imbrium vi carcerisque aëris imbellitaribus. Quae vero in Domini manus deponitur pecunia, omnibus infideli superior est, nec quisquam rapere e manu suscipiens valet, quae semel data sunt, sed permanent, multumque nobis et immensum fructum praeflant, messimque tempore suo diuitem adferunt. Celeritatem quoque et promptitudinem ergandi eleemosynam significare existimant; quando enim nauis super aquis vehitur rapidis, celerrime ad locum suum etiam longinquum

ginquum peruenit. Huc optime quadrat prouerbium: *bis dat, qui cito dat, nil dat, qui munera tardat.* Inuenies vero retributionem in altera vita a Deo remuneratore praestandam I. Tim. VI, 19. Matth. XXV, 34.

§. IV.

Commendat Ecclesiastes liberalitatem erga pauperes ob beatissimum euentum *בְּרֵךְ הַיּוֹם תִּשְׁאַל*. Qui cum Drusio verba: *mitte panem tuum super aquas*, eo dici volunt, vt indicetur, sine spe etiam lucri esse benefaciendum, quemadmodum spes nulla facile est recuperandi, quae in aquas proiiciuntur, ita explicant hanc alteram commatis partem: non peribit et infrugiferum erit, quod tamen fieri videtur, cum panis vel pecunia abiicitur in aquas; sed id quod ex fide pauperibus communicatur, in Dei manus reponitur, et ita post multa tempora rursus inuenitur. Vel, vt cum Grotio loquar: Deus pro ista beneficentia noua in te beneficia conferet. Qui autem ad rem nauticam respici volunt, ita explicant: Post multis dies, i. e. post longum tempus, reuertente naue, habebis lucrum. Licet enim pauperes non statim tibi gratiam reddere possint, post multitudinem tamen dierum Ef. XXIV, 22. Ps. LXXVIII, v. 32. vbi proiectae tuae et erogatae eleemosynae prorsus eris oblitus, retribuentur tibi eleemosynae et in hac et in altera vita. Verbum *כֶּן* Geiero et Schmidio insperatam imo desperatam adeoque eo gratiorem notat retributionem Matth. VI, 25. Imo ipse Seruator noster iubet Luc. VI, 35. vt dicto modo eleemosynas porrigitur: benefacite, inquit, et mutuate, vnde nil speratis. Thomae autem Cartwrighto videtur Ecclesiastes hoc verbo occurrere impatientiae hominum velle, qui, nisi statim compensentur beneficia, animum despondent: Hinc dicere, inuenies illam praeter spem et opinionem tuam. Reete profecto et plane ex Apostoli mente, largiter ferentem largiter messurum affirmantis. Nam vt agricolis seges cum foenore centuplo reddit, ita ob promissionem pracepto de erogandis eleemosynis hinc inde additam, certo sperare iubet Salomo, benefactum nunquam peritum esse, sed abunde compensatum iri, aut in hoc aut in altero seculo aut in vtroque. Caeterum quo-

DISSERTATIO DE PANE

modo Raschius hanc futuram beneficiorum locatorum compensationem exemplo insperati officii Iethroni a genero Mose pro hospitio redditi illustret, vide infra Sect. III. §. 4. Denique circa phrasin quidem **ברב הימן** varie sentiunt interpres, sed ita tamen, ut diuersitas ista ad vnicum redeat sensum. Sunt, qui **ברב** adiectiu vertunt *post multos dies*, uti Brentius in Comment. et Michaelis in Annott. Alii per substantiuum explicant *post multitudinem* dierum, quod idem est, ac *post multos dies*. Sic habent versiones Piscatoris et Pagnini, itemque Flacius in Clave Scripturae S. P. I. p. 236. Tandem sunt, qui verbaliter interpretantur, existimantes **רב** indicare infinituum, in *multiplicando* dies i. e. cum multiplicantur; quorum sum pertinet Iunii et Tremellii versio. Et quamvis nulla explicatio a scopo aliena sit, prior tamen videtur simplicior Seb. Schmidio in Comment. ad h. l.

§. V.

Atque ex his constare quidem potest de vero et genuino Spiritu S. sensu, quem in hoc ipso loco per phrases et vocabula intendit. Fatentur tamen omnes fere interpres, Mercerus, Iac. Matthiae, Geierus, et in primis Lutherus aliquie, ordinem et connexionem inveniunt esse difficultorem. Inquit enim D. Geierus: *Fateor hic ingenuo, me accuratam logicisque regulis conuenientem dispositionem in hoc libro explorare non possum, quia vel Salomo eiusmodi methodum nobis visitatam non attendit, et pro ratione multiplicium vanitatum et hinc et illinc sibi occurrentium easdem in chartas coniecit, vel quia humilia nostra ingenia subtilissimum tanti scriptoris acumen attingere nequeunt.* Omissio tamen eiusmodi ordine logico, ex cohererentia patet, Salomonem, post recensitas varias huius vitae vanitates, subiungere iam sub libri finem salutares quasdam exhortationes ad vitam beatam et ad bona temporalia recte impendenda voluisse, quod praecipue praestamus caritate et beneficentia; et de hac Salomonem in hoc loco agere manifestum satis est, et interpretum tantum non omnium sententia. **שלח לחכך על פני הימן** variae sint interpretum opiniones, in earum praecipuas, quas in haec tenus commemoratis vidimus, ut iam inquiratur paulo accuratius, ordo monet. Tractabit hoc

SECT. II.



SVPER AQVAM MITTENDO.

II

SECTIO II.

De primariis potiorum interpretum circa hunc locum sententiis.

§. I.

Quod mira sit interpretandi varietas circa hunc locum, ostendunt Commentarii tum antiqui tum recentiores. Causa vero in promptu est, factum enim hoc esse existimo ob vocum ipsarum non ynam *significandi rationem*, sed variam atque multiplicem. **שְׁלָחֵן** enim mox pro eiicere aut proiicere, mox pro emittere aut abiicere; **לְאַתָּה** iam pro semine et frumento, iam pro pane ipso inde consecro; **וְיַעֲשֶׂה** nunc pro mari aut flumine, nunc pro locis irriguis et virginosis, nunc pro lacrymis aut lacrymabundis; **לְעַל** iam pro super, supra, iam pro fecus, iuxta, secundum, ad, et alius atque aliis modis accipi, e superiori sectione patet. Non mirum itaque, si complures interpretandi rationes emergunt, de quibus, quae cui sit praferenda, etiam hominum doctissimorum sententia anceps est. Opera vero procul dubio atque oleum periret, si, in hac praecipue scripturam breuitate, omnes interpretationes allegarentur, praesertim cum istae pleraque in artius contrahi possint; siquidem B. D. Geierus omnes sententias de phraesi metaphorica, mitte panem tuum super aquam, ad tria capita reuocauit. Mihi visum est, ex illis aliquas feligere, easque, utpote caeteris potiores, breuibus recensere, quidque de iis videatur, salua auctorum existimatione addere.

§. II.

Vt aetate, sic ordine praecedant Iudei, quorum nonnulli phrasim dicti nostri allegataim, vt multa alia, proprie capi int. Hinc ex Coheleth Rabba h. l. quandam singulis diebus accepisse panem rotundum et proiecisse in mare; quodam vero die emissi pisces, quo discisso inuenisse magnum. margaritarum thesaurum. Inde vulgo de ipso fuisse dictum; iste est vir, cui semper persistit panis in aquam proiectus, iuxta id, quod legatur: *proice panem tuum super aquam*, Aug. Pfeifferus auctor est

C 2

Dubius



DISSERTATIO DE PANE

Dubii Vexatis L. XCIX. p. 666. Adnumerandi etiam huic sententiae videntur isti Aben-Esrae tribules, quos ipse Comment. h. l. ait, explicare haec de piscinis, in quas panis proiectus, quamuis perire videatur, pisces in hominis cibum alat, nostris mensis inferendos. Verum ipse, ut caeteris multo prudentior, et si non disertis verbis refutat, non tamē eo ut deueniatur, opus esse ait, suam eamque multo meliorem subiiciens sententiam. *)

§. III.

Nescio an paulo probabilior illorum sit interpretatio, qui per aquam intelligunt gentem atque personam, a qua nulla stabilis utilitas expectanda videatur. Dubium quidem non est, per aquam interdum in sacris paginis intelligi gentem et personam, ut Ezech. XXXII, 13. 14. et alibi, in primis cum Apoc. XVII, 1. 15. ὑδάτα πολλὰ, quibus οὐ πόρη οὐ μεγάλη infidet, ab ipso coelesti interprete per λαβές, καὶ ἔχασσες, καὶ ἔθνη καὶ γλώσσας explicitur, et Ps. XLVI, 4. multitudo hostium ecclesiae aquarum nomine significetur. Hanc esse Drusii quodammodo sententiam, supra Sect. I. §. III. p. 7. 8. fuit obseruatum. Eandem etiam Raschii **) et aliorum tam Iudeorum quam Christianorum esse, B. Aug. Pfeifferus in Dubiis Vexatis L. XCIX. p. 666. monet, et Alard. Uchtmannum ad Bechinat Olam p. 302. conferre iubet. Sed per aquam multitudinem populorum hoc loco indicari, ideo non videtur, quoniam ut sensus proprius, schema remoto, efferendus esset: *congere beneficia in populum*, sic, ob seruandam paritatem, verba schematis

*) Verba Aben Esrae sunt ista: שלח וַיֹּוֹרֶר מֵי שִׁישׁ לְזִוְירָה וַיַּבְּשֵׂר שִׁיבְּרָה וַיְמִלֵּא שִׁיאָרָנוּ מִכְּרָה וַיְשַׁׁבְּבֵשׁ אָמְרוּם כִּי אל המים חט מימין בריכת ויש שם דינם ואין לנו צור לפינוי הוה: i. e. ad vocem obsernatur, quod moneat Salomo, ut, cuicunque est, unde possit esse liberalis, eius manus sint patentes, tam ei, qui sibi est cognitus, quam qui ignoratus. Caeterum sunt quidem aliqui, qui dicunt, has aquas intelligi de aquis piscinae, in qua sunt pisces. Verum non opus est nobis hac interpretatione.

**) Verba Raschii ad פְּנֵי תּוֹבָת haec sunt: עשה טובות שיראמ לך שלח לך רחך על פְּנֵי מִים וחדר לאם שיראמ לך לך עלייך אל תראנו שער כארם שמשלי: מנוגה רוח i. e. confer beneficium et benignitatem homini, de quo tibi cor tuum dicit, te illum nunquam postea visurum esse, ut homo, qui proiicit viustum suum super mare. Comm. h. l.

tis vertenda forent, mitte panem tuum *in aquas*; hac autem ratione altera pars, de inueniendo pane post multa tempora, ad parabolam de re *in aquas* proiecta non bene collimaret. Rerum enim *in aquas* coniectarum inuentio est fortuita et incertissima, quae tamen hic certo euentura promittitur. Praeterea haec interpretandi ratio hoc etiam incommodi habet, quia per illam recedi videtur a mente Ecclesiastae, qui dicit על פנֵי המִזְבֵּחַ super aquas proiiciendum esse panem. Si autem de multitidine hominum, quibus benefaciendum sit, intellectum volueret, potius אל תְּרוּ הַמִּזְבֵּחַ vel אל קָרֵב הַמִּזְבֵּחַ *in mare* proiiciendas facultates dixisset. Et sequeretur denique: ergo in illas aquas proiiciendum esse panem eleemosynarum indiscriminatim; quod tamen sana ratio et pietas dissuaderet. Sine discriminione enim porrigere eleemosynas, quodammodo impium et prodigum est, quia ex hoc bono maius malum non raro oriri solet.

§. IV.

Non magis idonea est illa longe petita Olympiodori, qui in aquis his beneficentium lacrymas atque misericordiam inuenit. Cum lacrymis, inquit, et misericordiae affectu facito eleemosynas, allegante Pineda adh. l. p. 774. Verum enim vero duo sunt, quae, post et praeter illa a Pineda contra hanc exponenti rationem obseruata, illam duriorem reddere videntur, tum quia hebraica phrasis על פנֵי המִזְבֵּחַ non modum et affectum, quo distribuenda sunt eleemosynae, sed subiectum potius aut quidlibet aliud indicat; tum quia haec explicatio contraria fere esset aliis Scripturae S. oraculis, que monent, humiliari vultu dandas esse eleemosynas et non cum lacrymis: foret enim, ut suspicarentur, qui eas acciperent, inuito animo beneficium conferri, et sic sine dubio tristes a facie beneficiorum discederent, quod, ne vniquam fieret, illum liberalitate sua immortalem laudem consecutum Romanorum Imperatorum operam dedisse legimus.

§. V.

An cum textu magis conueniat Hieronymi sententia, metaphoram ab agricultura desuntam esse existimantis, aequus lector iudicet. Videlicet enim illi Salomo ad eleemosynam co-

DISSERTATIO DE PANE

hortari omnibus potentibus aequa largiter erogandam ac
largiter agricola sua semina spargat. Nititur autem eius
interpretatio illa hypothesi, quod מִן finit loca aquis plu-
uiis rigata atque ad proferendam post semina copiose sparsa
vberem messem, apta. Veneror quidem tanti Viri in sacras
litteras merita, quorum memoria apud posteros nunquam in-
tercidet: si tamen modestissime dicere licet, quid videatur, rem
ipsam probo, de modo metaphoram inuestigandi dubito.
Liberalitatem sub similitudine feminis in agrum sparsi, quam
commodissime commendari posse, nemo non largitur, ipso
apostolo auctore 2. Cor. IX, 6. At Salomonem tunc de agri-
colis imitandis cogitasse, cum haec scriberet, e dictione he-
braea elici vix posse videtur. Quis enim non intelligit, in-
signi quadam catastres aruum pluviis humectatum ipsas aquas
appellari, et quam insolita auribus sit enunciatio, panem su-
per aquas seminari? Quanquam enim non est dubium, quin
et semen appelletur panis per metonymiam causae, et aruum
aquis irriguum dici possit aqua, per eandem metonymiam
adiuncti: non tamen decet tropos promiscue aut in scri-
bendo adhibere, aut in textibus quaerere, sed caeterarum
etiam orationis partium, subiecti aut praedicati, rationem ha-
bere oportet; siquidem in eo haud postrema decori, tum ubi-
que tum etiam in dictione obseruandi, pars consistit.

§. VI.

Quod de B. Hieronymo, idem etiam de illorum statue-
rem sententia, qui innui volunt, largiendum esse sine spe re-
cuperandi. Ita enim Salomonem accipiunt: da panem eius-
modi hominibus, in quibus beneficium non minus periisse vi-
detur, ac si in aquas proiiceretur. Nempe res ipsa egregie
placet. Effet enim auara adeoque impia liberalitas, eo consi-
lio egenis largiri, vt cum amplissimo foenore recipiatur; imo
Seruatoris monitus memoria semper, si quid beneficias, ob-
uersari debet, αγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπέλπεσθε,
Luc. VI, 35. Sed si quid Scriptura abiiciendum ut periturum
dicit, non super aquas sed in profundum aquarum esse sub-
mergendum ait, v. g. Mich. VII, 19. תְּשׁוּר בְּמַצְלֹות יְהָזֵק כָּל
על פְּנֵי הַמִּזְבֵּחַ קְתָאָתָה proicies in mare profundum non
omnia

omnia peccata eorum. Nam quod פְנֵי הַמִּזְבֵּחַ עַל projicitur, non omnino sine spe recuperandi perit, sed continentia per fluctus appelli, aut quoconque alio casu recuperari potest.

§. VII.

Recentissima est Reu. *Baueri* meditatio, qui de liberalitate Ecclesiasten agere, cum caeteris interpretibus fatetur, in hoc tamen ab iis recedit, quod non tam de officio diuitum in egenos, quam de subditorum voluntate ad liberaliter de suo conferenda, quibus Principi ad bene administrandam rem publicam opus sit, praecipiat vir *Georgius*. Causae suae praesidium quaerit in connexione cum antecedentibus, in quibus de Regibus agatur C. X, 16. sqq. Transire hinc auctorem ad subditos, quos velit v. 20. principum vitia ac temerarios conatus aequo animo ferre, et, hoc commate, vestigalia sine murmuratione conferre, quanquam potior eorum pars ignavis in aula hominibus cedat, atque adeo numimi collati veluti in aquam coniecti videri queant. *) Veruntamen ut haec ingeniosa sane et oppido vera sunt, nec a me impugnantur, ita tamen argumento eius a connexione petito opponerem, de nexu magnam esse disceptationem, nec de eo vsquequaque inter interpretes conuenire, alio alium non improbabilis argumento ostendente; nec ego me ab eo, quem Sect. I. §. 2. duce *D. Michaelis* adoptavi, sine praegnantibus causis in contrarium adducendis, dimoueri paterer. Eequid vero, si quis contenderet, nexus in eiusmodi libris promiscua morum praeepta tradentibus, qualia sunt Prouerbia et Coheleth,

adeo

*) Erlautertem Grund-Text vom Pred. Gal. p. 298. Der armelnderthan muss oft dahin geben, was er selbst zu seinem Brode und höchst nothigen Bebedürfnis brauchete, und solches wird hernach wohl so übel an Leute, die in Müßiggang, Hoffnath und Wollust leben, angewandt, daß es eben scheinet, als wenn das Brodt ins Wasser geworffen wäre. Allein das soll ein solcher Unterhan nicht dencken. Es ist seine Schuldigkeit, seine Obrigkeit nicht zu richten und zu lästern, sondern einfältig zu geben, nach Rom. XII, 8. Gieber iemand, so gebe er einfältig. Oder wie Christus sagt: Laß die Linke nicht wissen, was die Rechte thut. Es wird sich beim letzten Gericht Gottes schon finden, wer zu seinem Unglück geherrscht hat, und zu seinem Glücke ist ein einfältiger Gieber gewesen.

DISSERTATIO DE PANE

adeo operose et anxie quaeri non oportere; cum ipsa ocularis inspectio doceat, pleraque non cohaerere, aut si quod videatur adesse vinculum, nonnunquam casu potius quam consilio factum esse? Repetantur hic, quae supra §. V. p. 10. ex B. Geiero circa hanc materiam adducta sunt. Ut taceam, etiam hic, quoad phrasin **על פנו המים** subnasci posse dubium, quod §. antecedente mouebatur. Non enim tam *in aquam rem proiecere, ubi pereat, quam super aquas, quibus seruari et aliorum defterri possit, iubentur a Salomone lectores eius.*

§. VIII.

Tandem, cum in re consentiant plerique, affirmantes, liberalitatem commendari, in metaphora autem eiusque fundamento, vnde desumpta sit, discrepent, id mihi nunc in primis agendum esse existimo, ut appareat, quorundam verba, mitte panem tuum **על פנו המים** spectent. Et ad mentem auctoris proxime mihi accedere videntur ii, qui translationem a re nautica et a mercatoribus merces suas in regiones extereras exportantibus, et raro sine foenore redeuntibus, petitam esse statuunt. Sensus igitur similitudinis est: esto liberalis in egenos, ita quidem, ut mercatores imitans, merces suas nauibus non parce sed abunde onustis per fluctus longo et periculoso itinere in diffitas regiones deferri curantes, largissimum tamen lucrum post complures interdum annos non frustra expectantes, eleemosynas pro opum tuarum modulo largiter eroges; vsum autem inde ad te redundatrum, quandocunque denique, serius ocius, certo expectes. Ita Veteres Versiones omnes; ita in primis B. Lutherus, cuius auctoritatem ut nunquam coeco obsequio sequitur noster coetus, sic tamen, ubi bene vertit, merito tuendus est. Conabor hoc pro viribus, id acturus, ut causas pro eius translatione militantes in medium producam. Sistetur ergo nunc in sequentibus, et quidem

SECT.

SECT. III.

Vindicatio interpretationis Lutheri metaphoram a re nautica patentis.

§. I.

Praemissis adhuc, quae omittenda non erant, deferor nunc ad illud, quod in primis agere in animo erat, et cuius causa praeципue haec scriptio a me suscipiebatur. Nempe vindicanda nunc est illa, caeteris, quas Sect. II. collegit, multo posterior B. Lutheri versio, et rationibus confirmanda. Quod tamen antequam aggredior, necesse erit, ut ante omnia, quae fuerit mens beati huius viri, constet. In proxime praecedentis Sect. §. VIII. mentionem iam iniecimus, quod interpretatio de re nautica petita, cum eorum sententia, qui innui volunt projectionem opum sine spe recuperandi, non simpliciter conueniat, sed ab ea quodammodo discrepet: Nam nautae non sine spe oceanum traiiciunt, imo haec ipsa est, quae illis fiduciam addit, eosque tanto confidentiori animo turbinibus, fluctibus, naufragiorum periculo, sexcentis aerumnis in pelago subeundis obiicit, neutquam hoc aufuros, nisi lucro locupletatos se sperarent redituros. Contra ea spes omnis recuperandi illis perit, qui rem suam non tam *super aquas*, quam *in aquas* proiiciunt, ita, vt, si eius quounque fato iterum compotes fiant, *praeter omnem spem fieri existimandum* sit; quale Pollicrat, qui annulum suum pretiosissima gemma insignem consilio amici, mitigandae sue nimiae felicitatis ergo, in mare abiecerat, pauloque post in pisce in culinam allato repertum recuperarat, euenisse, rerum Samiarum, quarum ille olim potitus est, conditores referunt. Stante proinde hac diuersitate, B. Lutherus sibi ipsi parum constare, imo contraria statuisse videri posset. Nam metaphoricam hanc loquendi rationem, mitte paneum tuum super aquas, a re nautica petuit, et tamen alibi de projectione opum sine spe ullius retributionis exposuit: quam duplēm interpretationem ita coniungi posse, ut textui respondeat, vix appetat. Pandit enim Lutherus animum suum de navigatione in versione Germanica, sic interpretans locum: *Läßt
dein Brodt über das Wasser fahren*, et in Tom. III. Len. Lat.

D

ad

ad h. l. ita scribens: *si diu vixeris, inuenies illum panem, quem proiecisti super aquam.* Quod vero Lutherus etiam persuasum sibi habuerit, Ecclesiasten simul innuere voluisse sententiam de proiectione opum sine spe recuperationis, non minus patet ex T. III. Ien. Lat. ad h. l. vbi inquit: *dicere vult Coherens, large da, etiamsi tibi videatur periisse eleemosyna et panis in aquam cadere.* At salua B. Megalandri res est, nec me causa, quam agere suscepi, casurum metuo. Aut enim paulo liberius commentatus est, quam transtulit; aut in versione sua nauigationem in omni complexu suo accepit. Si illud, merito de genuina eius sententia ex versione iudicatur, quae maiori semper cum cura instituitur quam oratio ad auditorium, vbi liberiores esse solent concionatores, non semper, in primis quando incidenter saltē de aliqua materia tractant, fontium ac proprietatis vocum rationem habentes: Si hoc, sane tanto minus secum ipse pugnat, eleemosynas erogandas esse etiam nonnunquam sine spe recuperandi, quanto saepius fit, ut mercatoribus omnis spes commodi e navigatione sua capienti decollet; obstat enim illi iactura, naufragium, piratarum vis et infidiae, tres illae nauigantium pestes. Hinc apparet B. Lutherum non inpegisse in vulgare illud, Spiritum S. eiusque causam ministerialem Salomonem duplē sensum vnius loci intendere non potuisse, quia dicti cuiusvis non potest non vnicus tantum sensus, vti Sect. I. §. I. monitum fuit. Nam certum hoc est, si duae interpretationes contraria et contradictoria in se contineant, quae se mutuo tollant; et tales sensui a Spiritu S. intento non possunt esse conformes: secus, si cominode fieri potest, ut schema ob similitudinem latius patenter, etiam ad plura, in quibus cum subiecto conuenit, applicetur, modo teneatur illud maxime tertium, quod scriptor sacer potissimum intendit, et illud quidem per regulas bonae interpretationis diligenter explorandum. Ergo Salomo et cum illo interpres Lutherus potuit eleemosynas sub similitudine nauigationis ita animo concipere, ut illa duo indicaret, primario quidem studium largiter illas distribuendi, et secundario, abiiciendam spem certissimam et absque contrarii metu, lucris temporalis ex ista in hac vita capiendi. Interpretatus est ergo

Vir

Vir ista aetate sane doctissimus, deque sacro codice et simul de ecclesia meritissimus *de nauigatione*. Hinc nil amplius supereft, quam vt caufae allegentur, quae Lutherum, vt ita verteret, mouerint, nosque, vt ei accedendum esse existimaremus.

§. II.

Sapientissimum Regem in conſcribenda hac admonitione ad eleemosynas largiendas verbis metaphoricis concepta, ad nauigationes respexisse quibus videtur, de quibus ſupra Secl. I. §.3. p. 8. illi probabili *primo* argumēto adiuuantur hoc, quia ad illas allusifē ab eius indole affectuque alienum non eft. Constat enim inter omnes de maxima eius circa rem nauticam occupatione, et quam exinde per omnem aetatem ſuam cepit, ſuauitate. Non enim ſolum Salomo iuuenis, cum regno a Patre Davide accepto de templo aedificando cogitaret, patet cum Hiramo, Rege Tyri, foedere, neceſſarias materias ex monte Libano ad littus maris mediterranei delatas nauibus in Palaestinam deuehi curabat, ſed et poſt absolutum illud immortalis memoriae et infinitorum prope ſumtuum opus aetate prouectior nauigationis ope aulam ciuesque ſuos locupletare conabatur. Emissis enim cum Hirami claſſe ratibus ad extremas Ophiri oras id dabat operam, vt aurum, argenti, eboris aliarumque rerum vſu iucundiffimarum viſ ingens afferretur, nec quicquam reipublicae ſuae ornanda augendaeque proficuum defideraretur, 1. Reg. X, 22. 2. Par. IX, 21. Haec ille animo adhuc tenens, cum de liberalitate ſcriberet, non eft dubium, quin de iſto ſtudio, quo olim tantopere delectabatur, cogitauerit, et vtilitatis insignis, quam inde ceperat, memor, ad commodum haud diſpar ſperandum, benefaciendi studiosos hac ſimilitudine excitare voluerit. Hinc et alibi nauium mentionem iniicit, vt, cum viam illarum in mari, rebus admirandis adnumerat Prou. XXX, 19. et vxorem probam naui optimis mercibus onuſtae comparat. l.c. C. XXX, 14. Nolim mihi imputari, quod huic momento plus aequo tribuam; video enim, quam infirmum ſit; neque alio facit aut alio affertur, quam vt appareat, ab ingenio auctoris non alienam eſſe illuſtrandi rationem a nauibus deſumtam.

¶

At multo firmius argumentum secundo loco pro hac interpretatione suppeditat phraseos ratio. Quod enim attinet verba fontium **לְחֵם עַל פְּנֵי הַמִּזְבֵּחַ** ea ipsa legimus Ies. XVIII, 2. vti Sect. I. §. 3. p. 8. iam iam indicatum fuit, vbi de nauibus trans mare mittendis usurpatur. Nulla vero ex omnibus Sect. II. allegatis sententiis ad proprietatem horum verborum proprius accedit, quam illa, quae a nauigatione est desumpta. In ipso autem limine impingit interpres, qui a propria significatione vocum recedit, dum nulla mouet necessitas. Quod vt clarius appareat, age! perlustremus omnes istas differentium sententias, vt quam bene securus istae cum hebraica phraſi conueniant, appareat. Et Iudeorum quidem locum huinc secundum litteram capientium nugae *tum* per se corruunt, quia nemini mentis compotis vñquam incidere potest, agere velle, cuius nullus plane finis est aut utilitas; quorū autem panis aliquis proprie in aquam proiectus? *tum* a phraſi ideo longius absunt, quia materiae graues eum in finem, vt subsident, in aquas proiicienda, potius dicuntur **שֶׁלֶךְ עַל מִזְבֵּחַ** aut **שֶׁלֶךְ עַל בָּצָר** magis quam **שֶׁלֶךְ** adhibita, vt Ezech. V, 4. Ier. LI, 63. C. XXXVIII, 9. Ies. XIX, 8. Gen. XXXVII, 22. Exod. XXXII, 24. Ion. II, 4. etc. Quod ad eos spectat, qui per aquam gentem atque personam intelligentes, hunc inde sensum eliciunt: benefacendum esse hominibus longe plurimis, isti quidem nil affirmant, quod aut a veritate rei ipsius recedat aut a significazione **תְּמִימָה** alienum sit, sed integrae tamen phraseos, *mittere super aquas* rationem non habent, quam vix vlibi sacrarum litterarum hoc sensu inuenient, vt significet distribuere inter multos. Quam autem lubricum sit, ex vnius particulae vſu metaphorico, aliquibus in locis fundato, ad illum eundemque sensum in alio loco, aliis accendentibus vocabulis syncategorematicis, concludere, quilibet facile intelligit; imo quam facile sit, si hac ratione procederes esset, quidlibet ex quolibet auctore excuspare, quis est, qui non videt? Non, si **כָּל** alicubi dicuntur *gentes*, ergo, *mittere super aquas*, est, distribuere inter gentes. Hoc etiam valet de illorum interpretatione, quae

SVPER A QVAM MITTENDO.

21

quae aquas pro lacrymis sumit. Nam et hic quodammodo
 committitur fallacia compositionis et diuisionis. Lacrymas dici
 aquas non negatur, nec, lacrymas metonymice, adiuncto pro
 subiecto posito, indicare afflitos; et hos iterum synecdo-
 chice, cum genus pro specie usurpatur, egenos notare, non im-
 probable est; sed an haec metalepsis in compositione cum
 aliis vocibus, huic nostro loco sit congrua, illud est, quod non
 probant illius auctores: sunt potius caeterae voces hancce
 phrasin constituentes, a natura subiecti τῶν οὐρανῶν, si pro la-
 crymis aut lacrymantibus supponit, alieniores. Lectorum meo-
 rum testor iudicium. Ad tropos autem duriores s. catachre-
 sticam vocum acceptiōnē sine summa necessitate nunquam
 confugere decet interpretem. Hieronymi sententia, cui me-
 taphora ab agricultura desumpta esse videtur, ab intentione tex-
 tus, vt ut in se commodissima, ideo aliena est, quia praeter ra-
 tiones iam allatas nec iterum iterumque repetendas, quomodo
 per loca irrigua homines beneficio digni et grati intelligi pos-
 fint, non facile appetat; siquidem irriguum symbolum est fe-
 licitatis, fertilitatis et abundantiae; in irrigua autem seminare
 i. e. non egentibus impertiri, quid opus est? Evidem Ben-
 Sira, supra p. 6. fin. allegatus, vetustissimus Iudeus, Iereiniaē pro-
 phetae nepos aliquibus fuisse creditus, aliis idem cum Iesu s.
 Iosua, Siracide, cuius inter nostros biblios apocryphos ex-
 tant morum praecepta, vti Drusius praf. ad eius prouerbia
 commemorat, non parum adiuuare videtur Hieronymum; quia
 illum Salomonis mentem optime calluisse, aut ex traditione cer-
 te maiorum potuisse, probabile est. Opponit autem ille Πτολεμαῖος
 Chald. Πτολεμαῖος Ιωάννης ιβσαντής aridum, distributue pronun-
 cians: *Spurge panem super et aquas et aridum*, interprete Drusio:
 benefac promiscue sive pauperibus s. diuitibus, vt agrico-
 lae semina in terram iaciunt, nulla habita ratione s. humili s.
 aridi. At sicut aquae longius a fonte manantes aliquid limi-
 ac sordium facile contrahunt, sic per ista sex circiter secula,
 quae certe inter Salomonem et Ben-Siram intercesserunt, sen-
 sus dicti Salomonei facile corrupti additamento quodam
 potuit. Nec nobis quiuis, aut Iudeus aut Christianus, sal-
 uis cuiuslibet meritis et auctoritate, tanti esse debet, vt nobis

D 3

sensum

DISSERTATIO DE PANE

sensum tum phraseologiae tum ipsi rei contrarium obtrudat. Rei autem quam maxime aduersatur, promiscue et pauperibus et diuitibus benefacere. Adde, hoc ne quidem simili ab agricultura petito respondere. Nam quis agricola in arida et irrigua promiscue seminat? quod qui faceret, semen suum de industria perderet; praestare potius existimat, non seminare, quam seminis in terra arida iacturam facere. Et Christus diuitibus benefacere quodammodo prohibet. Luc. VI, 34. 35.

§. IV.

Vt igitur appareat, omnia verba, quae scriptor sacer adhibuit, longe liberius fluere et ab omni violenta detorsione longius abesse, si metaphora a re nautica petatur, quam si a quacunque alia, atque eadem ob causam Virum hebraice doctissimum B. Geierum hac ipsa commoditate commotum huic interpretandi ratione recte inhaesisse, ac B. Lutherum non sine graui causa fulsisse: age! nunc tertio loco similitudinem, quae beneficentiae cum re nautica intercedit, euoluamus, et hoc ipso sententiam, in qua adstruenda occupamus, tanto magis confirmemus. Nempe mercatores sunt, aut ali nummatiores, qui bona sua domi nata, frumentum, vinum, oleum etc. ad exteros, sibi plerumque ignotos, non sanguine, non foedere, non linguae, saepe ne religionis quidecum commercio iunctos emittere, et potiorem diuiciarum suarum partem turbido mari committere solent, et interim bene sperat, fore, vt aliquando, si fortuna non fuerit aduersa, nauis cum aliis mercibus suas longe superantibus, redeat. Nihil est, quod horum omnium in beneficia non egregie dici possit, imo multa praeterea sunt alia. Conuenit vtrumque subiecto, obiecto, modo, fine.

§. V.

Subiectum, cui hocce humanitatis officium incumbit, vt omnes quidem sunt homines, summi, medioximi, infimi, diuites, pauperes, noti, ignoti, sic inprimis, qui, veluti mercatores nauibus instruendis pares, caeteros facultatibus antecedunt, et quibus, vnde liberales sint, domi suae suppetit. Vt enim ne tenuissimae quidem fortis viduae suum λεπτόν in indigorum suppetias conferendum detrectare possunt Luc. XXI, 2. sic multo magis tenentur ὁ ἔχοντες τὸν βίον τὴν κόμην Ioh. III, 17.

§. VI.

§. VI.

Obiectum, ad quod beneficia pertinent, ii sunt, quos transmarinis et insulanis, ad quos naues excurrunt, Salomo comparat. Non nautas, seu qui nauibus vehuntur homines, obiectum liberalitatis exhibere existimandum est, vt quidem Chaldaeus statuit, quem supra Sect. §. III. pag. 7. allegatum vide; isti enim labore suo stipendium merent, non, vt beneficium, gratis accipiunt; hi naulo soluto, non gratis aut ex beneficio vehuntur. Licit enim non negem, in beneficio etiam locandum quodammodo esse, si quis opulentus mercenarios suis sumtibus conducat, ad opus aliquod vtile faciendum, alias otiosos futuros et aut cum futura pauertate colluctatores aut conatibus praeuis lucraturos, unde vivant: non tamen istam stricte et proprie beneficentiam aut liberalitatem dixeris. Beneficiendum est igitur, per istam a transmarinis desumptam similitudinem, non notis, cognatis, familiaribus, ciuibus, olim bene de te meritis *tantum*, quamquam et his et maxime quidem; amor enim ordinarius incipit a se ipso et a suis; et tunicae ueste propiorem esse pronuntiat adagium; vtut hoc qui faciunt, quemadmodum aliquam, sic non magnam tamen laudem ferunt, ethnicis et publicanis non praefrantiores, Matth. V, 47. sed et ignotis ac peregrinis, qualis erat ille vulneratus a latronibus viator pereirenti Samaritano; duo illi simulatis mortalium personis peregrinatores coelites, Lothro; Moses exul Iethroni sacerdoti Midianitico. *) Nam *רֹאשׁ פְנֵי הַמִּזְבֵּחַ עַלְפָנִים* super aquas, formaliter

* Huc pertinet Raschii ad hunc locum Coheleti Commentatio, cum ad verba וְנִמְצֵא בְּאֶרְתָּא וּמִקְבֵּל ita inquit: רַי בְּךָ הַמִּימִם וְנוֹגֵד וְמִתְּמֻמֵּן דָאָה מִתְּנִאָמֵר בְּיוֹתְרֹו קָרָא לְוַיְמָלֵחַ וְסִכְרוֹ שְׁחוֹת מַצְבֵּי וְלֹא יַרְאָמֵן עֲדָר מִתְּהִירָה סְוִוָּה וְנַעֲשָׂה חַחְמָה וְמֶלֶךְ עַל אֶשְׁרָאָה: z. e. *Veniet tandem tempus, cum accipies compensationem pro tuo beneficio. Vide quid de Iethrone relatum legamus Exod. II, 20. Vocate eum, (Mofen, inquit ad filias,) ut nobiscum coenet. Potuisset existimare, cum esse Aegyptum, nec unquam imposturum a se vistum iri. Sed quis erat euentus? Fiebat gener eius et Rex Iyacilis, et adducebat eum ad synagogam et religionem Iudaicam, et digni habiti fuerunt filii nepotesque eius, habitare inter iudices Synedrii. Deinde regnum aula ex lapidibus caesis extruxta, in qua hababant iudices Synedrii f. Confistorum magni assessores, vid. Buxtorff, Lex. Targ. Talm., voce גִּזְעָה p. 414.*

DISSERTATIO DE PANE

ter non denotat obiectum beneficiorum; sed pertinet tantum ad ornatum et complementum schematis; verum id, quod per ellipsis textus sacer filet, nempe ista regio, quae trans mare est, eiusque incolae, ad quos nauis excurrit, ii sunt, qui in scheme indicantur beneficio afficiendi. Ut adeo, quemadmodum mittere nauem supra s. trans aquas significat, mittere eam ad eos, qui trans aquas habitant, sic et, panem supra s. trans aquas mittere, sit, illum ad transmarinos s. longissime ab hinc distos ac facie amicitiae ignotos mittere. Et hoc est, in quo ab iis, qui de obiecto huius textus paulo aliter sentiunt, nos dissentire supra Sect. I. §. 3. init. p. 6. praemonebamus.

§. VII.

Porro si de modo beneficiorum quaeratur, quo sint imperienda; schema innuit, esse hoc praestantum celeriter et lubenter animo, nec vila, quantum fieri potest, interiecta mora, vt nauigium plenis velis repente et vltro per fluctus fertur, nec ab inuitis, verum a volentibus cupidisque mercatoribus instruitur, de quo et supra §. 8. fin. porro sollicite, vt non tam expectes, donec precibus tua ab egenis sollicitetur liberalitas, quam vt quaeras etiam, si qui et vbi sint, quibus beneficias, Abrahami et Lothi exemplis ante foras suas expectantium oculisque circumlati studiose quaerentium, quos hospitio exciperent; sicut qui nauigationes instituunt, aut nauigia clavo dirigunt, non sine cura aut circumspectione illud agunt; item lagiter, ac pro facultatum quidem ratione, vt naues non parce, sed abunde onustas extremos ad Indos ex emporiis emitte constat; tandem confidenter ac plena spe diuinae, gratiosae tamen ac prorsus immeritae compensationis, ob benignissimas numinis promissiones fallere nescias: vt nunquam mercatores sumtus in nauibus instruendis facturi essent, nisi spe admodum probabili insignis lucri alerentur; qua non nisi raro per naufragia excidunt.

§. VIII.

Posset et de fine, vtrique etiam eleganter respondente, prolixie differi, nisi scriptiunculae huius ratio de fine faciendo esse iuberet cogitandum. Caeterum quia pleraque hic facientia Lectorum ingenio facile suppleri posse videntur, pauca quaedam, ne quid intactum fuisse praetermissum iure dici queat, subiicio.

cio Nauibus qui merces exportant, id eo faciunt, ut exterorum inopiam opibus suae patriae indigenis leuent, et quibus illi abundant, ad se transferri current, cum ciuibus suis communicandas, sufficientiae et ciuilis cuiusdam beatitudinis gratia. Qui liberales sunt, post Dei honorem obsequiumque eius praecepto de suppetius egeno ferendis debitum, primo semper loco ponendum, et quae ne nauium quidem moderatores postrema parte habere debent, id recte animo intendunt, ut tum egenis per suam benignitatem bene sit, paupertatis onere quodammodo leuatis, tum egenorum piis votis, quorum, si probi sint, magnum profecto pondus est, apud Deum remuneratorem adiuuentur, tum et temporalium, si Deo visum fuerit, certe spiritualium et aeternorum pro hisce caducis nummulis bonorum messem metant. Quod, qui sperant atque per modum finis intendunt, recte et ex benignissimi Numinis voluntate faciunt, si modo omnem opinionem meriti diligenter remouant, non taxandi; quia, ni vellet a liberalibus sperari, non profecto promisisset; quod in ea Theologiae parte, quae morum pracepta explanat, pluribus traditur.

§. IX.

*Quarta ratio, pro B. Lutheri et qui eum sequuntur, militans interpretatione, inde peti potest, quod nil in ea sit, quod vel cum textu vel cum re pugnet. Fateor, me non iam praeuidere posse, quid excepturi sint, quibus haec non satisfacient; mihi certe interpres euoluenti, praeter unicum Pinedam, nullus est oblatus, qui argumentis in medium prolatis istam sententiam directe improbat: sed duo tamen succurrunt, quae fortasse eos offendere queant. Primum est, quod Pineda ad h. l. etiam Caietano, qui haec de nauigatione explicuerat, tribuit, sequi nempe, longe hinc *distantis* et *peregrinus* a nobisque *distantibus pauperibus* beneficiendum esse, non *aeque* terrestri itinere ad vicinos et tenuiores cognatos hancce commendatam a Salomone liberalitatem spectare p. 774. Non fuit mihi copia ipsum Caietanum inspiciendi, et, annon vim eius*

E

ver-

26 DISSERT DE PANE SVPER AQVAM MITTENDO.

verbis Iesuita intulerit, iudicandi. Caeterum non probabile est, Caietanum haec exclusive accipienda voluisse, quasi non, ut longius absentibus sic aequo praesentibus oporteat erogari. E re ipsa certe haec exclusua non sequitur, habet potius, quod Salomo de nutriendis etiam distantibus pauperibus ait, naturam argumentationis a maiori ad minus. Nempe si id, quod magis difficile est, praestare tenemur, quanto magis id, quod minus difficultatis habet. Si ad alendos transmarinos tua te obligat pietas, quanto minus hoc officium cuiibus tuis indigis negari potest. Alterum, quod obiici posse suspicor, esset fortasse, τὸν ὥραν non tam *trans*, terminum *ad quem*, quam *super aquas*, subiectum panis accipendi, denotare. Sed nostra interpretatio hanc propriam particulae significationem non impugnat aut repudiatur, retinet potius; manent enim aquae עליון פניהם super quarum superficiem panis mittendus est, subiectum, sed quatenus conceptum aliquem voce distincta non expressum, verum latentem, inuoluit; nempe subintelligimus terminum *ad quem*, scilicet pauperes transmarinos, per ellipsis omnissimum. Ut taceam, ab hebraicae linguae genio alienum non fore, si etiam τῷ ὥρᾳ quod, quam varie significet, ex iis, quae B. Glassius collegit Philol. S. L. III. Tr. VI. Can. 12. p. m. 1057. patere potest, notio *trans* et *ultra* tribueretur. Hoc confirmat laudatus Glassius, illo Ezechielis C. VII, 26. vbi dicitur: חַדְרָה עַל חַדְרָה calamitas *ultra* calamitatem ventura; illustratque ex graeco ἐπι, huic particulae עליון in phraesi nostra plane analoga. Quod enim frequentissimum in ebraeo codice est פניהם עליון חארץ Noui Testamenti stylo effertur οὐ καθίμενος ΕΠΙ πρόσωπον τῆς γῆς Luc. XXI, 35. Hinc locum Pauli Phil. II, 27. λύπην ἐπὶ λύπῃ dolorem *ultra* dolorem vertit. Vnde iterum recte Lutherum: Lass dein Brodt über das Wasser fahren, sine villa in textum sacrum licentia aut duritie vertisse constat.

DISSE-

DISSEMINATIONIS CONSPETCVS

Prooem. de quorundam locorum in Coheleth obscuritate §. I.

de auctore Coheleth variae sententiae §. II.

de causa, cur locus ex Cap. XI, i. huic tractationi electus fuerit §. III.

Sectio I. tractat de loci vocabulis et phrasibus. phrasum et vocabulorum expendendorum necessitas §. I.

in שָׁלֹחַ לְחַמְּפָרָן quid sit? §. II. obiectum עַל כִּי חַמְּפָרָן personale contineri ostenditur §. III.

ברב וַיְהֵי הַמְצָאָנָה euentus continetur, quae verba tamen varie explicantur §. IV.

diuersissimae circa hunc locum sententiae §. V.

Sect. II. earum potiores recenset.

diuersitatis tantae origo §. I. a Iudaeorum quibusdam ḥ. מִי proprio accipitur §. II.

a Raschio et aliis, pro multitudine hominum §. III.

ab Olimpiodoro, pro lacrymis miserentium beneficiorum §. IV.

ab Hieronymo, similitudinem ab agricultura desuntam existimante, pro agro aquis irriguo §. V. ab aliis, pro largitione sine spe retributionis §. VI. ab alio, pro conferendis magistratui aequo animo ve digalibus §. VII.

a Lutheru ad rem nauticam referunt §. VIII. Hinc

Sectio III. Lutherus vindicatur.

Lutheri versio et eius a se ipso apparens dissensus §. I.

defenditur 1) argumento probabili ab indole Salomonis, nauigationum studiis §. II.

2) e phraseos significatione §. III.

3) ex apta comparatione inter nauigationem et elemosynas §. IV. Conueniunt enim subiecto §. V. Obiecto §. VI. modo §. VII. fine §. VIII.

4) ex eo, quod nihil solide contra hanc explicationem Lutheri excipi potest, aut certe adhuc exceptum fuit. §. IX.

CLARISSIMO, NOBILISSIMO QVE DOMINO
M. GLEISBERGIO,
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI DOCTISSIMO,
S. P. D.
P R A E S E S.

Quod alii bonarum artium et scientiarum Studioſi, cum ex Academis in patriam reuertuntur, Magistrorum suorum ambiant testimonium, ut qua industria ab illorum ore peperirent, Patronis domi confirmant; id TV, VIR CLARISSIME, ex TE elicis, et non sine laude exemplo pluribus imitando, in publicum conspectum tum illorum, quibus imprimis profectum Tuorum reddenda est ratio, et quorum auctoritate ad ecclesiam ornandam propediem, ut spero precorque, admouendus eris, tum amicorum ciuiumque Tuorum producis. Dissertationem enim hanc, quam doctorum iudicio ſiſis, multis literis longe potiorem fore non eſt cur dubites; quia domum allata ex academis testimonia, quam diligenter quis collegit interfuerit, hoc, quam recte in iis Tu profeceris, ut conſtet facit. Tua eſt haec lucubratio, de qua meum potius, quam aliorum multo me preeftantiorum in hac academia Virorum experiri iudicium, illiusque publice propugnandae me potiſſimum, qui Tuus in me singularis amore eſt, parataram feligere vſuisti. Nihil in ea deprehendi, quod non commode et Linguae sanctae genio congrue scriptum eſſet. Iſtum proinde ingenii Tui foetum Tua follertia digniſſimum, temporisque in hac optimarum literarum mercatura optime locati locupletem teſtem ita reddo, ut hoc Tibi eruditio[n]is ſpecimen ex animo gratuler, ſpēnque ſimul, Te partibus Tuis in conſtru cum doctis aggressoribus, quos Tibi non defore praetideo, ex aſſe ſatiſ eſſe facturum tanto certiorē concipiā, quanto Te peritiorē palaeſtrae huius gladiatorem in priuat[i] neſtris velitationibus, vbi Libros eccleſiac noſtrac ſymbolicos cum preeftantissimis ſelec[t]iſſimorumque ſane ingeniorum Commilitonibus, quos ob ſingularem ſacrarum profanarumque literarum peritiam magni ſatio, diſputando excutis illuſrasque, adhuc preeftiſti. Faxit Deus O. M. ut, quos eo proſperante cepiſti profectus haud profecto vulgares, in ſanctoris coetus, quem Tuae fidei paulo poſt creditum iri om̄inor, emolumen- rum proferas, ſidiique in familiā ḥmōvō[us] r[er]a vīngētē inſtar, in au- diotorum ſalutem pie et prudenter diſpenses. Scribebam VI. Id. April. c10 Icc XXXVII.



00 A 6333

E0-37
Jah. 01

Rath

III

D

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

Meshalchath halchah
TEL BENI HEMIMAH
i. e.
DE
**PANE SVPER AQVAM
MITTENDO**
COHEL. XI. COMM. I.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
QVAM
PRAESIDE
**DN. IOHANNE CHRISTIANO
HEBENSTREITIO**
SS. THEOL. DOCT. ET LINGV. SANCTAE
PROF. P. O.
PRAECEPTORE SVO AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO
IN
ACADEMIA QVAE LIPSIAE FLORET
DIE XII. APRIL. A. R. S. CICERO XXXVII.
ΣΥΜΦΙΛΟΠΟΥΝΤΩΝ
EXAMINI SUBMITTIT
AVCTOR
M. IO. GOTTLLOB GLEISBERG
SIEGERSDORFFIO LVSATVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.